

EPISTOLA LII.

S Vir clarissime & compater honorande,
 Probo tuam erga fratres *Φιλοσοργίαν*
 & magnifacio nobilem vestram familiam &
 utriusque causa, tuli mores Pauli diutius
 quam me decebat. De studiis cum eo ante
 annum egi. Coactus semel atque iterum
 officii eum admonui. Sed quia Generoso-
 rum famulum, Nobilium Gnathonem, fra-
 tris bene morati & studiosi *ὡς ἀληδῶς* con-
 temptorem agere mavult: et quia recens
 garrulitate sua mihi in memoriam revoca-
 vit Pythagoræ illud: Hirundinem sub te-
 cto ne alas, jussi eum res suas sibi agere,
 dum Gallorum non virtutes sed vitia & *πά-
 ρεργα* imitatur, nec curat, quod etiam A-
 merbachio & aliis, gravitatem morum non
 probat: dum fratris studia interturbat: In-
 stitutionum Professore, qui Academiæ sa-
 tisfacit, despicit: nec alias quam historicas
 lectiones, honorarius auditor, senum quo-
 rundam Gallorum, & nobilitatis exemplo,
 adit: jussi eum alibi de victu sibi prospicere.
 Id illi optatissimum accidit ut liberius agere
 possit. Jam si tibi videor difficilis, cogita
 quam multi & quam bene nati homines
 cum